



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput IX. Ligna regularium devastans factus est claudus circa
devastationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

rum extruxit Castrum, illudque amplis & profundis fossis munivit, quia autem nullum malum impunitum manet, inimici Militaris dicti nocte quadam supervenientes Castrum cum annexa villa injustè acquisitum per incendium in cineres redigerunt. Sicque factum fuit, ut qui antea de bonis minùs justè acquisitis lætabatur, jam Castrum suum cum villa flammis absumptum videns vehementer doluerit.

C A P U T VIII.

De Fratre, qui, quod concupivit, accipere promeruit.

IN Grangio Monasterij B. MEINULPHI, quod vulgari linguâ *Findelen* nuncupatur, nonnunquam devotus Frater nomine *Rötgerus* prædicti Monasterij Conventualis ex ordinatione sui Venerabilis Prioris ad tempus habitavit, qui, quia à suo Conventu sæpius aberat, humano more tentatione devictus mutonis carnibus cum Fratribus suis in Refectorio Monasterij vesci cupivit. Quid contigit? sequenti die cum sol jam oriri cæperat, ac portarius prædicti grangij portam aperiret, mutonem foris ante januam reperit quiescentem; hunc gaudens tanquam miraculosè transmissum grangio introduxit, ac illo per coquum interfecto ac mactato, dictus Frater, qui de mutonis carnibus edere concupivit, non solum ad sufficientiam se refecit, sed & omnes supra dictum inhabitantes grangium eum gaudio cibavit.

C A P U T IX.

Ligna Regularium devastans factus est claudus circa devastationem.

ERat quidam inhabitator Castri *Wewelsburg* nomine *Petrus*, qui, quia DEUM minime timuit, Canonicorum Regularium Monasterij B. MEINULPHI sylvam introgressus in ea ligna quercina sub defensione domicellorum dicti Castri securi abscidit, ac ea ab emptoribus abduci fecit, quod damnosum factum dicti Regularis

lares ad sui Monasterij detrimentum æquò animò justè perferre non volentes sæpius eorundem lignorum abscissores inculpabant admonentes , ut desisteret sua ligna devastare. Sed heu ad piæ admonitionis vocem aures occludens exaudire noluit admonentes. Et dum iisdem Regulares sæpius inculpassent, à supradicta villa illum coercere non valebant, sed Dominus DEUS Judex justus eum ab eadem sylva penitus eliminavit & exclusit, nam cum die quadam dictam sylvam ingrederetur, ut in ea ligna secata, & ressecanda cum vecturis abduceret, contigit, quòd idem vir arborem quandam inferiùs abscissam superiùs alteri arbori ramis suis implexam de loco suo movere laborabat, improvise cadens eundem oppressit, sub tali arbore magnis in doloribus, & corporis vitæ amittendæ præsentissimò periculo gemens, nec se ullo modo juvare valens in eadem gravissimæ pænæ pressura ad duos dies, & unam noctem absque ulla corporis refectiōe & humana consolatione permanebat. Tandem dum idem lignorum incisor consueto more post sylvaticum suum laborem domum revertebatur, per sylvam diu inquisitus in miserijs inveniebatur, hi verò qui eundem ita arbore oppressum invenerunt, omni modo suppositam arborem amoventes in domum suam debilem & claudum reduxerunt.



APPEN.